Piotrowicki Jacobi: Quaestio de principiis et natura intellectivae

QVÆSTIO
DE
PRINCIPIIS & NAtura Intellectionis.

A

M. IACOBO PIOTROWICKI ad disputandum in Alma Acad. Crac. proposita, die 12. Aug. Hora 10.

Permissu Magnifici D. Rectoris.

CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis,
Anno D. 1623.

12.



Fasciola hæc tereti quod circumducitur orbe
Quem toties nexus, stringit obitq; tenax.
Synthesis est NOWODWORSCIA, *tam preciosa supellex,*
Illis namque suo parta cruore stetit.
Quam tamen haud conchyle rubens, sed lilia pingunt,
Nam candore suo hæc, nobilitata domus.
Florete æternum, æternumque albescite gentis
Sarmaticæ, puræ ô lilia Fasciolæ.

M. IACOBVS VITELLIVS Ordin. Eloquentiæ Prof. Collega Minor.

Generoso ac Magnifico Domino,

D. GEORGIO NOWO-DWORSKI à NOWODWOR,

S. R. Maiestatis Secretario, &c. Domino & Patrono meo plurimum colendo.

M. IACOBVS PIOTROWICKI Salutem.

ANNO superiori cum post administratam triennio Scholam Tucholień redirem in Academiam, in Tuæ humanitatis portum respiraturus aliquantulum declinaueram. Neq; id frustra, superasti enim spem & vota mea, siquidem omnes ferè sudores quos in nouâ Academiæ Crac. Colonia per GENErosum & omni sæculorum memoriâ dignissimum Patruum Tuum D. Bartholomæũ Nowodworski Equitem Melitensem suis tribulibus erecta collegeram, detersi: Consilio amicus, beneficio Patronus, amore & beneuolentiâ quicquid volui in rebus meis fuisti. Quam voluntatis egregiæ propensionem cùm ego sæpius conferrem cum diuinis virtutibus Tuis, quæ incipientem maturitatem Tuam mirificè exornant, non semel intra me conscius meæ exiguitatis erubui: Vt autem re diligentius consideratâ perspexi, totum id ex pietate Tua in Academiam singulari profluere, in vota ac preces me effudi,

vt ille qui ſinceri, candidi, & grati animi remunerator eſt amplissimus videat ex alto, & coronet glorioſos conatus Tuos pro maioribus in dies ex Acad. Crac. deducendis Reip. incrementis. Et antea quidem cum iuuenis adhuc è faucibus Hæreticorum eriperes Eccleſias cum ſuis dotibus, cum ſcholas optimis libris inſtrueres, vnum Te è magnis in bonas literas Patronis cenſui: Nunc fortem & excelſum animum Tuum, pro cariſſimæ omnium noſtrum altricis vitâ & honore, cum ſtupore vehementi admiror. Huic ego congratulaturus, & ſimul aliquo modo beneficia Tua imitaturus, occurro Tibi cum meo, in Academia nuper ſublato ad bellum Philoſophicum, vexillo. Legem ſcis eſſe nuperam in Academia, vt nemini in Profeſſorum Collegium pateat aditus, niſi per publicam diſputationem. Legi obſecutus quæſtionem ex medullis arcanæ Philoſophiæ interioribus, de principiis & natura intellectionis propono, atq; ei inſigne nomen Tuum quaſi debitum obſeruantiæ meæ ſignum appono. Accipe beneuolus vt ſoles, & tui ſtudioſiſſimum Piotrouicium, ſimulq; eius opellam quantum potes foue, & tuere. Datum ex Contubernio Iuriſconſultorum 4. Id. Aug.

QVAESTIO.

V. Intellectio consequens species intelligibiles, ab intellectu agente & obiecto mediantibus phantasmatis, intellectui possibili impressas, sit actio conceptum mentis producens nec ne?

CONCLVSIO I.

Intellectus possibilis est potentia naturâ suâ passiua.

Consectaria.

1. Ante intellectionem dantur species in telligibiles intellectui possibili superadditæ.
2. Species intellectionem præcurrens, intellectũ possibilem in actu primo constituit.
3. Species per quam intellectus possibilis in actu primo constituitur, rectè species impressa nuncupatur.
4. Intellectus cognitio perfecta, est in intellectu possibili informato tanquam in radice.

5. Intelle-

5. Intellectus posſibilis ex ſpecie impreſſa poſt tranſactam intellectionem remanente, memoratiuæ facultatis nomen habet.

Concluſio II.

In anima humana dandus eſt intellectus agens productioni ſpecierum intelligibilium deſtinatus.

Conſectaria.

1. Intellectus agens eſt animæ potentia realiter ab intellectu poſsibili diſtincta.
2. Ac proinde qui intellectum eſſe vel Deum, vel intelligentiam contendunt in ſchola Peripatetica malè audiunt.
3. Intellectus agens ad ſpeciei intelligibilis productionem concurrit per phantaſmatis illuminationem vnde lumen homini inditum iurè nuncupatur.
4. Intellectus agens eâtenus dicitur illuminare, quatenus depurat phantaſma à conditionibus indiuidualibus, ita vt ſolius naturæ ſit repræſentatiuum.
5. Quamuis intellectus agens ab actu intelligendi denominetur, eum tamen elicere nequaquam eſt cenſendus.

Con-

Conclusio III.

Phantasmata in specierum intelligibilium productione cum intellectu agente concurrunt tanquam causæ efficientes instrumentaliter.

Consectaria.

1. Nulla est repugnantia phantasma ad productionem speciei etiã in genere causæ materialis concurrere.
2. Phantasmata intellectum agentem ad hanc vel illam speciem producendam determinant.
3. Phantasmata ad productionem specierum, non ea præcisè ratione quâ communem, sed etiam quâ exhibent singularem naturam concurrunt.
4. Phantasmata ex illustratione intellectus agentis habent quod sint sua instrumenta, non ex coniunctione & consortio phantasiæ cũ anima rationali.
5. Species intelligibilis quoadmodum repræsentandi assimilatur phantasmatis.

Conclusio IV.

Intellectus possibilis specie intelligibili informatus, est causa efficiens totalis intellectionis.

Con-

Conſectaria.

1. Intellectio eſt vitalis operatio intellectus poſsibilis
2. Species intelligibilis intellectui dicitur eſſe principium intelligendi, quod per eam reponatur in eſſe principij proximi & completi.
3. Intellectio à ſpecie intelligibili non procedit tanquam à principio effectiuo.
4. Falſum eſt intellectum partialiter concurrere ad operationem ſuam eliciendam.
5. Species intelligibiles ſemper ſunt eſſentialiter intelligibiles actu.

Concluſio V.

Intellectio eſt actio, mentis conceptu à ſe producto terminata.

Conſectaria.

1. Alicui actioni immanenti intra ſe aliquid producere non repugnat.
2. Falſum eſt intellectionem eſſe meram ſpecierum intelligibilium receptionem.
3. Ad intellectionem conceptus mentis habet ſe & vt quod, quatenus primò & immediatè terminat eam: & vt quo, quatenus in ipſo tanquam in imagine intuetur rem cognitam

4. Con-

4. Conceptus mentis vnâ eadem intellectione quâ intelligiturres, non aliâ diuerſa actione producitur.

5. Intellectioni non tantum quâ diſtinctæ, abſtractiuæ & directæ, ſed etiam quâ confuſæ, intuitiuæ, & reflex æ, eſt productio verbi concedenda.

M. Io.

M. Ioannis Ludouici Skrobkowic
IN
Diſputationem Philoſophicam
M. IACOBI PIOTROWICKI
PLAVSVS.

QVA temo optatam profert Hyperionis orbi
Fluctibus ardentem lampada ab æquoreis;
Surculat exiguo ſoboleſcens plantula ſcapo,
Vix iaciens terrâ ſeſquipedale iugum.
Non ea Achæmenio criſtata ſuperbit amictu,
Nec pandit croceas luxurioſa comas.
Non rubet Oebalio cirros fucata veneno,
Auſa papauereis æmula ſtare roſis.
Paruula Dædaleas aſt inter ſerpit alumnas,
Et flore, & quauis ipſa ſorore minor.
Rhænomenos tamen illa imbres, ſpirantia nardos
Vnguina, & Elyſias vincit odore roſas.
Quàm nihil hoc à te IACOBE alludit Amomum?
Ambroſiis quàm tu vincis Amoma notis?
Quando poſt alios, ſerio non præpete curſu,
Perplexum aggrederis curere laudis iter.
Sed de laude minùs (quod quis miretur) inani
Sollicitus, tua mens nauſeas haſce dapes.

Cunru.

Curarum aggeribus pinnis vallata laborum
Caſtra petis, quibus & conſenuiſſe velis.
Noui ego, quod ſi quid, tibi rara modeſtia cordi,
Hoc embemma tuis auſibus eſſe cupis.
Non ita crudeles horreſcit nauta typhones,
Miſta procelloſi, dum furit vnda maris;
Ventoſos fugiunt ſicut tua pectora honores;
Pectora, quàm ærata conſtabilita baſi!
Queis tamen vt grati virtutis & artis odores
Funduntur? præſens en liber hoc loquitur.
Diuitis ingenii ingens fœtus: Scilicet iſte
Noſter quem cernis PLAVSVS *abinde venit.*
Verùm an non meritò ambroſia perfunderis aurâ,
Virtutum & Charitum qui mirotheca manes?

Sub felicibus auſpiciis Admodum Rñdi ac Magnifici D. Iacobi Naymanowic, I. V. D. & Profeſſoris Ordinarii, Archidiaconi Pilecenſis, Academiæ Crac. Generalis Rectoris.